eſſe inconcuſſas prædicarent peritis æque ac indoctis, jam Concina in arena ſolus in eas quamcitiſſime ſtylum acuebat, ne vel minimo etiam intervallo hujuſmodi ſcripta Chriſtianorum moribus labem inferrent, neve Evangelii doctrina injurias diutius pateretur. Atque id exequi poterat utique Concina, qui eximia rerum Theologicarum peritia pectus compleverat, & ſummam, expeditamque ſcribendi dicendique facilitatem acerrimis exercitationibus erat aſſecutus. Sunt tamen plura inter ejus Opera, quæ abſoluta merito, atque perfecta dicuntur, ut ſuis locis jam indigitavimus. Scripta ejus magni dum viveret, habita ſunt, & eorundem impoſterum dignitas augebitur, imminuta jam fere copia, & gratia ejus inimicorum: qui licet ultima pertentaverint, & modo etiam, quod permirum eſt, vim in ea experiantur ſuam, nihil tamen aſſecuti ſunt, ſed palam confirmarunt, optima quæque, ac præſtantiſſima invidiæ, atque obtrectationi eſſe maxime obnoxia. Hæc ſunt, quæ ipſe habui, ut monumentis traderem litterarum de Danielis Concinæ Vita, ac præclaris Scriptis. Non ſum neſcius ſucceſſuros mihi ſcriptores, qui grandioris eloquentiæ lumine præditi futuri ſint ſummi Viri virtuti celebrandæ, explicandæque magnitudini pares. Quos quidem ego ſaltem ea re juvero, quod ex erratis meis magnopere cavebunt ipſi ne errent, & incommoda, quæ me torſerunt, noſtra commemoratione admoniti vel levius ferent, vel majore antecæptæ virtutis robore muniti facile ſuperabunt. Quæ dum egregiis ingeniis, atque inſigni Viro, de quo hactenus ſcripſi, ſuccreſcet gloria, lateque vagabitur, ego ejuſdem nomini pro meo genio ſatis conſuluiſſe putaverim & inſignium ejus narratione virtutum, & maximo, quod modo ſubjiciam, pondere monumentorum. Quamquam memoria ejus, etſi a nemine laudatus fuiſſet, in tot lucubrationibus exſtaret, in quibus tanta adparent exempla virtutum, atque ejuſdem in Catholicam Eccleſiam meritorum, ut nomen ejus profecto ſine cujuſpiam laudatione manſurum ſit in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum.

F I N I S.

CA-

CATALOGUS
OPERUM EDITORUM
A P. DANIELE CONCINA O P.

I. *Commentarius Hiſtorico-Apologeticus in duas diſſertationes tributus; quarum altera anti-criticis animadverſionibus refellit ea, quæ adverſus paupertatis Diſciplinam a D. Patriarcha Dominico conſtitutam intemperantiore critice ſcriptis prodiderunt Continuatores* Bollandi; *altera eandem diſciplinam a laxioribus P. Raphaelis* de Pornaſio *interpretamentis vindicat. Accedit Diſſertatio Hiſtorica de Origine diſciplinæ regularis primum in Ord. Præd. per B.* Raymundum de Vineis *XXIII. Magiſtrum Generalem ejuſd. Ordinis inſtauratæ, & quæſtiuncula moralis de Regularibus perſonatis*. 4. Venetiis 1736. Apud Stephanum Monti, ſub adſcititio nomine Caroli Antonii *Plantamuræ*.

II. *Dictionarium Caſuum Conſcientiæ Jo:* Pontas *&c. Accedit Fr. Danielis* Concina *Ord. Præd. Præfatio ad Lectorem, & Animadverſiones Critico-Morales in menda Pontaſiana cum Actuario duorum caſuum, qui in hoc Dictionario deſiderabantur. fol.* Venetiis Apud Antonium Bortoli. A. 1738.

III. *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica Diſſertationibus Theologicis illuſtrata, & in duas partes tributa, in quarum una de voto paupertatis vitæ communi circumſcripto, in altera de cæteris ejuſd. diſciplinæ capitibus præcipuis diſſeritur. Accedunt ſelecta quædam veterum Theologorum monumenta*. 4. Venetiis ex Typographia Balleoniana 1739.

IV. *La Quareſima Appellante dal foro contenzioſo di alcuni recenti Caſiſti al Tribunale del buon ſenſo, e della buona fede del popolo Criſtiano ſopra quel ſuo precetto del digiuno da accoppiarſi coll' uſo delle Carni permeſſo pel ſolo nocumento del cibo Quareſimale*. 4. In Venezia preſſo Simone Occhi 1739. Eodem anno curata eſt editio ſecunda, cui Præfatio Apologetica acceſſit. Inde denuo edita eſt cum Apologetica Diſſertatione, quæ primo prodierat ad calcem Tomi ſecundi Hiſtoriæ Probabiliſmi, ac Rigoriſmi. Prodiit demum A. 1756. apud Sim. Occhi.

V. *La Diſciplina Antica, e Moderna della Romana Chieſa intorno al Sacro Quareſimale Digiuno, eſpreſſa ne' due Brevi* Non Ambigimus, & In Suprema *del Regnante Sommo Pontefice* Benedetto XIV., *illuſtrata con Oſſervazioni ſtoriche critiche, e Teologiche*. 4. Venezia 1742. apud eund. Simonem Occhi. Opus recuſum Venetiis 1756. apud eund.

VI. *Della Storia del Probabiliſmo, e Rigoriſmo Diſſertazioni Teologiche morali critiche, nelle quali ſi ſpiegano, e dalle ſottigliezze de' moderni Probabiliſti ſi difendono i principj fondamentali della Teologia Criſtiana*. In 4. 2. Tom. In Venezia 1743. apud Simonem Occhi.

VII. *Epiſtolæ Theologico-Morales ad illuſtriſſimum Epiſcopum N. N. adverſus librum inſcriptum:* Diſſertatio in Caſus Reſervatos Venetæ Diæceſeos. 4. Venetiis 1744. Atque denuo Venetiis, Lucæ, & Romæ.

VIII. *In Reſcriptum* Benedicti XIV. *ad poſtulata ſeptem Archiepiſcopi Compoſtellæ, jejunii legem ſpectantia, Commentarius Theologicus*. 4. Venetiis apud Simonem Occhi 1754.

IX. *Defenſio Decretorum Concilii Tridentini, & Apoſtolicarum Conſtitutionum Eccleſiæ Romanæ adverſus duos libros inſcriptos* Vita clauſtralis, & Vindiciæ Regularium. 4. Venetiis 1745.

X. *Oſſervazioni critiche Morali in difeſa della* Storia del Probabiliſmo *e del* Rigoriſmo *contro il libro intitolato*: Giuſtificazione di più perſonaggi, ed altri Soggetti ragguardevoli. 4. In Peſaro (*Venetiis*) appreſſo Nicola Gavelli 1745.

XI. *Eſame Teologico del libro intitolato*: Saggio de' Supplementi Teologici Morali Critici, di cui abbiſogna la Storia del Probabiliſmo, e Rigoriſmo ec. *Stampato in Lucca l' Anno* 1744. *dal R. P. Nicolò* Ghezzi. In Peſaro (*Venetiis*) 1745. appreſſo Nicola Gavelli.

XII. *Eſplicazione di quattro Paradoſſi, che*

ſono in voga nel ſecolo noſtro. Rifleſſioni ſopra i due Libri de' RR. PP. Lecchi, *e* Bovio *intitolati*: Avvertenze ec. *e* Diſſertazione ec. *Si premette un ſuccinto ragguaglio de' libri ſtampati da alcuni Probabiliſti in difeſa del Probabiliſmo, e di altri punti Morali*. 4. Lucca 1746. ac denuo Venetiis 1750. Opus Gallice redditum *a P.* Du-Four *O. P.*, & pluries recuſum.

XIII. *Epiſtola ad* Polycarmum *V. Cl.*, *in qua B. Nicolai* Juſtiniani *Veneti Monachatus a fabulis, vaniſque commentis* (P. Gundiſalvi Carrattini) *aſſeritur*. 4. Tridenti A. 1746. ac denuo Venetiis A. 1755.

XIV. *Eſpoſizione del Dogma, che la Chieſa propone a crederſi intorno all' Uſura colla confutazione del Libro intitolato:* Dell' Impiego del Denaro. 4. Napoli per Pietro Palumbo 1746.

XV. *In Epiſtolam Encyclicam* Benedicti XIV. *adverſus Uſuram Commentarius, quo, illuſtrata doctrina Catholica, Nicolai* Broederſen, *& aliorum errores refelluntur*. 4. Romæ ex Typographia Palladis apud Nicolaum, & Marcum Pallearinos 1746.

XVI. *Uſura contractus Trini Diſſertationibus Hiſtorico-Theologicis demonſtrata adverſus Mollioris Ethices Caſuiſtas, & Nicolaum* Broederſen .... *Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Auctoris adverſus Uſuram*. 4. Romæ ex Typographia Palladis apud Nicolaum, & Marcum Pallearinos 1746.

XVII. *Memorie ſtoriche ſopra l' uſo della Cioccolata in tempo di Digiuno eſpoſte in una Lettera a Monſig. Illuſtriſs. e Reverendiſs. Arciveſcovo* N. N. 8. In Venezia appreſſo Simone Occhi 1748. ac denuo Venetiis apud eundem 1749. adjecta Epiſtola P. Antonini *Valſecchi* adverſus *P. Berlendium*, de qua diximus Cap. IX. Commentarii.

XVIII. *Theologia Chriſtiana Dogmatico-Moralis Auctore F. Daniele* Concina *Ordinis Prædicatorum*. 4. XII. Tom. Romæ (Venetiis) Apud Simonem *Occhi* 1749.; quo ſcilicet Anno Opus prodire cœpit. Abſoluta eſt autem editio A. 1751. Cum vero *Apparatus* ultimo loco prodierit, ideo hunc *Theologiam Chriſtianam* conſequi diximus in Commentario; habita ſcilicet ratione temporis, quo volumina edita ſunt. Prodiit autem Theologia hæc ſemel, iterumque Venetiis apud eundem *Occhi* A. 1763. in fol. ac in 4. cum nonnullis additionibus.

XIX. *Commentarius Dogmatico-Moralis De Sacramento Pœnitentiæ, ejuſque Adminiſtro*. Romæ Anno 1750. Opus excerptum ex Tom. X. *Theologiæ* Chriſtianæ.

XX. *Iſtruzione dei Confeſſori, e dei Penitenti per amminiſtrare, e frequentar degnamente il SS. Sacramento della Penitenza*. 8. In Venezia 1753. preſſo Simone Occhi.

XXI. *De Spectaculis Theatralibus Chriſtiano cuique tum Laico tum Clerico vetitis Diſſertationes duæ. Accedit Diſſertatio* III. *de Presbyteris perſonatis*. 4. Romæ ex Typographia Apollinæa 1753. Apud Hæredes Jo: Laurentii Barbiellini, & denuo Venetiis apud Sim. Occhi 1754.

XXII. *Della Religione rivelata contro gli Ateiſti, Deiſti, Materialiſti, Indifferentiſti, che negano la verità de' Miſterj, libri cinque*. 4. Venezia 1754. appreſſo Simone Occhi.

XXIII. *De Vita, & Rebus geſtis P. Thomæ Mariæ* Ferrarii *O. P. S. R. E. Cardin. Tituli S. Clementis Libri tres*. 4. Romæ 1755. Apud Hæred. Jo: Laurent. Barbiellini.

XXIV. *Ad R. P. Carolum* Nocetium *Epiſtolæ octo de ſingularibus Argumentis in ejus libro inſcripto* Veritas Vindicata *contentis. Accedunt opiniones laxæ quamplurimæ ex variis Caſuiſtis collectæ. Item Cenſura R. P. Euſebii* Amort, *Canonici Lateranenſis, in Theologiam Moralem R. P. L. C. Item Epiſtola nona ad eumdem P.* Nocetium *de nonnullis ejuſdem Antithetis II. P. M.* Dinellii. 4. Venetiis A. 1755. Apud Sim. Occhi.

XXV. *De Teatri Antichi, e moderni contrarj alla profeſſione Criſtiana Libri due del P. Daniello* Concina *in conferma delle ſue Diſſertazioni* De Spectaculis Theatralibus *alla Santità di N. S.* Benedetto *XIV*. 4. Roma 1755. preſſo gli Eredi Barbiellini.

XXVI. *Fr. Danielis* Concinæ *Ord. Præd. de Sacramentali Abſolutione impertienda, aut differenda recidivis conſuetudinariis Diſſertatio Theologica ad Eminentiſſimum Nerium* Corſinium *&c.* 4. Romæ 1755. Apud Hæredes Jo: Laur. Barbiellini; & Gallice Anno inſequenti.

Opera Ejuſdem Poſthuma et Inedita.

I. *Theologiæ Chriſtianæ Dogmatico-Moralis Compendium*. 4. II. Tom. Venetiis apud Sim. Occhi A. MDCCLX. Opus hoc ab Auctore confectum A. MDCCLIII. jacuit uſque ad A. MDCCLX. Unde corrigendus error, qui irrepſit pag. 227. lin. 9. hujuſce Commentarii. Recuſum inde eſt hocce Compendium cum pluries Venetiis a Simone Occhio, cum Bononiæ, Lugani, Neapoli, ac denique Venetiis ab Antonio Zatta, ſed malis plane avibus. Fama accepimus hominem Florentinum Romæ degentem, ac apprime doctum ex univerſa *Theologia Chriſtiana* novam epimen confeciſſe; cujus titulum non ſatis probabilem vidimus. An prodierit, mihi non exploratum.

II. *Libellus Supplex F. Danielis* Concinæ *oblatus* Benedicto *XIV. die XXI. Septembris A.* MDCCLI. *adverſus Libellum Supplicem a P.* Vicecomite *Generali Jeſuitarum porrectum eidem Pontifici nomine totius Societatis, congregatæ in Congregatione Generali, in qua idem P.* Vicecomes *Generalis inauguratus eſt*. Hunc libellum, a nobis latio donatum, edidimus Cap. XXIX. hujus Commentarii. Alteram libello PP. Societatis, latino exaratam idiomate, confecit reſponſionem, quæ apud ſuos forte extabit.

III. *Comparatio Libelli Supplicis P. Societatis adverſus Tyrſum* Gonzalez *cum altero libello eorundem adverſus Danielem* Concinam. Hanc ſcriptiunculam, a nobis pariter latinis litteris redditam, vulgavimus citato Capite XXIX. noſtri Commentarii.

IV. *Sincera Storia delle accuſe fatte contro la* Teologia Criſtiana *di F. Daniello* Concina *dal P.* Viſconti *a nome di tutta la Compagnia di Gesù al Sommo Pontefice* Benedetto *XIV. l' Anno* MDCCLI. Hujus Antigraphon inter Adverſaria noſtra ſervamus.

V. *De Juſtitia & Jure* ingens volumen pro ſupplemento eorum, quæ hac de re in *Theologia Chriſtiana* complexus eſt.

VI. *Apologia Societatis Jeſu*. Hujus exemplum unum extat Venetiis apud ſuos, alterum Florentiæ in Cœnobio S. Marci, alterum denique Romæ in Bibliotheca Caſanatenſi. Prodibit autem brevi, ut ſpero, opera Viri Clariſſimi.

VII. *Lettere ai RR. PP.* Richelmi, *e* Gagna *Autori delle due Opere intitolate* Saggio d'Avvertimenti ec. *e* Lettere d'Eugenio Apologiſta ec. *contro la Storia del Probabiliſmo, e Rigoriſmo*. Extant apud ſuos, & in pleriſque Venetis Bibliothecis.

VIII. *Epiſtolæ de Probabilitate* ad P. *Carpanium S. J.* Extant Venetiis apud ſuos.

IX. *Catechiſmus* Italice exaratus.

X. *Monumenta* pro adornanda Hiſtoria Congregationis B. Jacobi Salomonii O. P.

XI. *Conciones Quadrageſimales, & Panegyricæ Orationes*. Italice.

XII. *Memorie Spettanti alle Opere ſtampate ec.* Hocce in libro hiſtoriam eorum Concina complexus eſt, quæ ſibi ab Anno MDCCXVIII. ad A. uſque MDCCXLVI. contigerunt. Harum autem omnium Scriptionum Autographa ſervant PP. celeberrimi Cœnobii SS. Roſarii Venetiarum: apud quos extant etiam Autographa Epiſtolarum, quas evulgamus. Præter hæc autem nos pleraſque alias Concinæ, aliorumque ſcriptiunculas, & Epiſtolas aſſervamus, quæ juſtum volumen conficiunt optimæ frugis Anecdotorum.